

sanctissimus, nomine Adelbertus¹. Hic etiam dei gratia plenus, ex iussu vel sacro consilio Ottonis, filii Conradi magni et famosi ducis, dei confessoris Philippi monasterium ex vetustate destructum coepit renovare. Cumque plurima arte et utili prosperitate pium opus complisset, mirari coepit, quia non certe scivit, ubi beati Philippi corporis reliquie iacerent sepulte. Nam ex negligentia olim precedentium patrum pene per totum labefacta memoria populorum plurimi dubitabant, utrum adesset aut non fuisset. Tunc missa legatione idem abbas ad Rubertum Mogontie civitatis archiepiscopum, quia in eius parrochia fuit, licentiam ab eo inquirendi mysterii, ut petiit, impetravit.

Geste rei narratio.

Quadam autem die supradictus abbas Adelbertus volens desiderii sui votum perficere sibi fidos et apparitoribus suis sapientes, clericos vel laicos, adesse constituit. Quibus presentatis sacramentum quod archana mente cogitaverat, occulte indicavit dicens: fratres, vos optime scitis, quam studiose huius ecclesiae fundamenta ponerem, et iam consummato opere ad finem usque perducerem. Sed restat adhuc, quatinus iuxta iudicium archiepiscopi inquiramus, utrum beati corporis thesaurum invenire valeamus. Et cum esset iuxta predestinatum ad inquisitionem paratus, de inventione autem ambiguus², interposuit iusiurandum, quatinus si non invenirent, hoc cuncti sub silentio tegerent; si autem voti compotes extitissent, id ipsum aperta ratione omnibus manifestarent.

Item de inventione sancti Philippi.

Vespere autem iam facto, abbas dei sapientia repletus vocatis ad se suis obtimatibus finxit, in crastinum se ipsum ad alia loca transiturum, precepitque eis, ut ad tabernacula sua proficiscerentur cuncti et mane diluculo secum ire essent parati. Hoc quoque argumento cum cunctos eiecisset, data est ei a deo facultas, ut inquireret et quesitum inveniret, sicut in evangelio dominus dicit: Querite et invenietis. Nam cum iam media nocte omnium corpora alto sopore quiescerent, cum suis fidelibus ecclesiam ingressus est, et in primis, sicut quondam de inquisitione ligni vite Iudas Quiriacus foecit, profusis lachrymis et viribus cunctis deum omnipotentem exoravit, ut sibi sacrum thesaurum

1) Ueber ihn Remling a. a. O. S. 61. 160 Jahre später kommt ein Albert als Abt vor, der ein neues Gotteshaus in Zell baut und eine Probstei daselbst gründet. 2) Der Druck hat 'ambigumus'.